donec constet de priorum dissolutione, ergo dum dubium est, an hoc matrim. sit validum, non est dissolvendum. Tandem, qui bona fide contraxit, justam habet possessionem, ergo in dubio non est ea spoliandus.

5 Ad 1. argum. dic, in hoc claudicare tantum, quod dubitans nequit petere, cum ei possessio malæ fidei non suffragetur: at cum alter bona fide possideat, potest petere, & reddere, & ipsi tenetur alter reddere. Ad 2. neg. antecedens, quia ejus possessio est dubia, sicut & vita, possessio vero alterius, qui bona fide contraxit, est certa: & ita hæc prævalet.

6 Circa II. casum, quando scilicet uterque mala fide contraxit, dubitans de impedimento, *Silv. matr. 4. q. 9. d. 3.* videtur sentire teneri reddere: dicit enim contrahentem dubia fide, teneri reddere, maxime si alter conjux ignoret: unde idem videtur sentire si ambo habeant malam fidem. Et tenet expresse *Bart. a Led. de matr. dub. 20. concl. 1.* asserens neutrum posse petere, teneri tamen reddere.

7 At certissimum est, neutrum posse petere, nec reddere: quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta: & latius probavi n. 3. Et ita docent *Veracr. 3. p. spec. a. 13. fin. Angles Floribus 1. p. de matr. q. 11. de imped. ord. a. 3. d. 4. Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 5. fin. & c. 15. fin. & l. 12. c. 6. n. 5.*

9 Addit *Enriq. eo. c. 12. nu. 5. fin.* hos non posse reddere, nisi causa subsit, ut id dubium practice deponant, & probabilius esse, valere matr. reputet. At credo satis esse, si arbitrio prudentis rationes ita probabiles sint, ad persuadendum matrimon. valere, ut efficiant probabilem opinionem, quamvis probabilius sit, matrim non tenere, quia satis est in moralibus sententiam probabilem amplecti, juxta veriorem opinionem: quare hac opinione probabili valoris matrim. existenti, potest uterque petere, & reddere.

DISPUTATIO LXIII.

Utrum quando impedimentum proprio consensu amoveri potest, ut est servitus ignorata, dubitans de valore matr. a se bona fide contracti, quia dubitat de servitute alterius, possit, teneaturque reddere, etiam Ecclesia id præcipiente?

SUMMARIUM.

Quando vult reddere animo ratificandi matrimonium, potest: & quid post Tridentinum, n. 1.
Quando non vult ratificare, refertur opinio negans teneri reddere, etiam Ecclesia præcipienti, 2.
Quid, si sit causa levis dubitandi, n. 3. Et an illo dubio possit reddere, refertur opinio negans, 4
Sent. affirmans teneri reddere Ecclesia præcipienti, refertur, 5.
An secluso Ecclesiæ præcepto, lite mota, liceat reddere: vel sit reddendi obligatio: referuntur duæ sent. n. 6. & 7. & sent. auctoris, 8.
Solvuntur argum. & explicatur c. 2. de conjugio serv. n. 9.

1 NEmo dubitat licere huic dubitanti, petere, & reddere animo ratificandi præcedens matrim. invalidum: quia potest denuo contrahere, & ratum habere illud. Quod intellige, post *Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* si impedimentum servitutis, occultum sit: posset enim tunc absque parocho, & testibus convalescere, ut dixi hoc 2. l. disp. 37. n. 5. si vero impedimentum esset publicum, vel his mota esset, itaut in foro externo probari posset, nihil conferret animo ratificandi accedere: cum oporteat, ut validum efficiatur illud matr. coram parocho, & testibus celebrari. Consistit igitur difficultas, quando deest animus ratificandi matr. accessu illo, aut non potest eo ratificari.

2 Duplex est sent. I. ait non teneri hunc reddere, quamvis Ecclesia præcipiat. Ducitur, quia nullum est medium inter accessum animo fornicario, aut maritali: & ita si potest accedere, debet else animo maritali, ne alias fornicetur: ad hoc autem non tenetur, pararet enim sibi maximum præjudicium, cum habere ratum matrim. cum ancilla initum, atque in eo perseverare cogeretur: quod damnum subire non tenetur, ut in eo dubio tueatur alterius conjugis possessionem: nam in materia justitiæ, cum est par utriusque causa, non tenetur aliquis cum proprio damno, alterius damnum vitare. Unde non est simile, quando dubitatur de valore matrim. propter alia impedimenta: cum enim propria auctoritate auferri nequeant, nullum illis præjudicium parat reddens debitum, & non tenetur reddere, ut tueatur alterum in sua possessione. Et confirm. quia sibi præjudicare, si dubitans accedat, videtur definiri *cap. 2. de conjug. servor.* ubi habetur, eum qui postquam audivit uxorem esse ancillam, carnaliter cognovit, compellendum esse eam retinere. Hanc tenent ex Theologis *D. Th. 4. dist. 36. fine, in expos. litteræ: D. Bonav. ead. d. initio in expos. lit. Ricar. ibi, art. 2. quæst. 1. Palud. ibi, q. 1. a. 1. concl. 3. n. 9 Suppl. & ab. ead. d. qu. 1. a. 3. dub. 1. Adr. 4. de rest. q. de præscrip. 8. Installabis fortasse in parvis volum. f. 163. col. 1 Metina C. de rest. q. 18 ad fin. in sol. ad 2. & q. 17. 8. Corollarie sequitur non esse indistincte verum:* additque idem dicendum esse, licet adhibita diligentia non possit vincere dubium: *Sot. de secr. membr. 3. q. 2. post 1. concl. v. Respondetur quod prælatus, Bart. a Ledesm. de matr. dub. 20. concl. 1. fines, Barnabas de Sponsalib.* quem refert, & sequitur *Enriq. l. 11. de matr. c. 10. num. 5. & c. 15. num. 14. l. 12. c. 6. n. 7. Vega lib. 2. sum. casu 401.* Et ex jurisperitis, *Innoc. cap. 2. de conjug. serv. init. & ibi Tancr. Vinc. Philip. Goffred.* quos refert *Alex. de Novo ibi, n. 11.* eandem tenent *Abb. ibi, num. 6. Præpos. num. 10. vers. Venio a secunda p. gl. Rosell. verb. Impedimentum imped. 3. n. 6. & 7. fin. Ang. matr. 3. imped. 4. n. 8. & 9. Tabiena verb. Imped. imped. 1. q. 11. n. 12. Nav. c. 5. quis autem, de pæn. d. 7. n. 94. Greg. Lop. l. 4. tit. 5. p. 4. verb. De partir, Cov.* dicens communem *4. dec. 2. p. c. 7. §. 2. fine.*

3 Observandum est 1. *Gregorium Lop. proxime citatum* sic distinguere, si ipse conjux litem intentet de uxoris servitute, nullo modo tenetur reddere, etiam judice præcipiente: si vero dominus ancillæ moveret litem, tunc si causa dubitandi levis sit, debet Ecclesiæ obedire, nec sibi parat præjudicium: secus sit probabilis. Ceterum alii DD. tam 1. quam 2. sententiæ, indistincte, & optime ajunt quando causa levis est, & potius scrupulus, eam rejiciendam esse, & posse petere, & reddere: ut docetur, *c. Inquisitioni, de sent. excommunicationis.*

4 2. Observandum est, quamvis DD. allegati, tantum explicent non teneri reddere, etiam Ecclesia præcipiente, at ex eorum ratione expresse constat, sentire non licere etiam reddere, nisi affectu uxorio, animo ratificandi matr. cum enim putent non aliter quam affectu uxorio, aut fornicario posse accedere, & dubitans non accedat eo affectu uxorio, relinquat, ut solum accedat secundum eos, affectu fornicario, & ita peccet accedens.

5 II. Sent. ait, teneri in eo dubio reddere debitum. Prob. quia si potest licite, & absque suo damno reddere, omnes concedunt teneri, juxta *c. Dominus, de secund. nupt. & c. Inquisitioni, de sent. excom.* cum alter conjux in possessione sit, & in hoc dubio ejus conditio melior sit: sed potest licite, & absque ullo damnno reddere, ergo tenetur. Prob. minor, quod possit licite: quoniam potest reddere, nec animo fornicario, nec maritali, ut denuo velit revalidare illud matrim. sed animo maritali ut conservet alterum conjugem in sua possessione, & reddat ei debitum, cum eximere debeat alterum in hoc dubio, bona fide possidere, & sic non esse privatum jure petendi: sicut qui dubitaret post matrim. contractum, de impedimento consanguinitatis, posset, & teneretur reddere debitum, nec accederet animo fornicario, nec animo maritali novo, quasi volens ratificare prius matrim. sed ex priori consensu maritali bona fide præstito, ut alterum in sua possessione conservet. Et confirmatur, quia si leve sit dubium de servitutis impedimento, fatentur DD. opposíti teneri reddere, nec sibi præjudicare: ergo necessario tenentur medium constituere inter accessum animo fornicario, & animo maritali ratificandi prius matr. alias nec hi casus, nec præcedens de consanguinitatis impedimento, posset excusari. Prob. autem sibi non præjudicare, quia cum detur accessus animo non ratificandi prius matrim. itque licitus non potest præsumi eo accessu ratificatum esse matrim. Hanc sent. sustinent ex jurisperitis, *gl. cap. Cujus rei, 29. q. 2. verb. Removisse, & c. 2. de conjug. servorum, verb. Audivit & ibi Host. super eod. verb. Jo. Andr. ibi fine, Anton. nu. 6. Anch. 6. Henr. num. 10. 11. & 12. Ax ex. de Novo num. 11. Supplementum Pisanæ, verb. Impedimentum, imped. 3 fin. Silv. matr 8. p. 3. d. 2. q. 5.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 36. qu. 2. art. 2. num. 14. D. Ant. 3. p. t. 11. cap. 3. §. 2. Adr. 4. de spons. dub. 13. v. Præterea tertio, in parvis vol. f. 422. col. 2. Led. 2. p. 4 q 54 a. 4. f. 473. col 2. & 3. Corduba d. 3. quæst. 8. f. 183. col. 2. §. Ex supradictis sequuntur. Palacios 4. d. 30. disp. 1. f. 671. col. 2. §. Sed quæritur, & d. 36. disp. 1. f. 709. col. 1. §. Per hæc, & f. 798. col. 1. v. At vero, Petr. de Ledes. de matr. q 45. a. 1. dub. 2. ad ultimum primæ sententiæ.*

6 Est tamen dissensio inter auctores hujus 2. sententiæ, an teneatur hic reddere debitum, quamvis Ecclesiæ præceptum non constringat illum. Nam *utraque gl. Host. Jo. Andr. Ant. Anch. Henr. Alex. de Novo, Adr. Palacios, allegati pro 2. sent. n. præced.* dicunt sibi præjudicare, si sponte, nec eo præcepto compulsus reddat: & consequenter sentiunt non teneri reddere, ut vitet illud damnum. Credo tamen hos DD. sentire, minime peccare reddendo absque illo præcepto, cum possit conjux accedens velle periculo illius damni se exponere. Item quia si absque judicis præcepto esset peccatum, accessus, judicis præceptum similiter dubitantis de servitute, cum his tunc agitetur, non excuseret a culpa, cum accessus ad non suam sit ex intrinsece malis. Item, quia alter conjux est in possessione, & ita jus habet petendi: & alter solum eximi potest ne reddat, ratione damni sibi imminentis; ergo si velit periculum illius damni, quod licite eligere potest, subire reddendo, ut tueatur alterum in sua possessione, immunis erit a culpa, & ita non peccare reddendo absque Ecclesiæ præcepto, tenent *Lud. & Corduba, n. præc. pro 2. sent. allegati.*

7 Alii vero ex DD. ejusdem 2. sent. docent, non tantum posse, sed etiam teneri reddere debitum, licet his mota non sit, nec judicis præceptum accesserit, nec in hoc sibi præjudicare. Prob. quia ante judicis præceptum est alter conjux in sua possessione, & ita ex natura rei potest exigere debitum, & alter tenetur reddere, juxta *c. Inquisitioni, de sent. exco.* & cum possit reddere, non animo denuo contrahendi, sed implendi id ad quod tenetur, cur debet præsumi animo maritali denuo contrahendi accedere, velleque sibi præjudicare? Hujus sent. sunt aperte *Palud. 4. d. 36. q. 2. a. 2. n. 14. & D. Ant. 3. p. t. 1. c. 3. §. 1.* licet enim videantur ibi loqui cogento præcepto, at postea *Palud. a. 3. n. 16. & D. Ant. eod. §. 2.* explicant hoc præceptum reddendi in hoc dubio haberi, *cap. Inquisitioni de sent. excom.* & ita censent secluso judicis præcepto, teneri. Et *idem Palud. eo. a. 2. n. 15.* dicit nihil referre, sive quæstio

moveatur, sive non: & tandem *n. 16. & D. Ant. eod. §. 2.* ajunt, posse dici etiam secluso præcepto *d. c. Inquisitioni*, teneri reddere. Ejusdem sent. videtur *Silvest. matr. 8. q. 8. dub. 2.* absolute enim dicit teneri reddere: & clare loquitur ante Ecclesiæ præceptum: quia postea *dub. 4. & 5.* tractat, quando mota est lis.

8 Sit conclusio, quamvis 1. sent. probabilis sit, at multo probabilior est secunda, nempe conjugem in hoc dubio teneri reddere debitum, etiam judice non præcipiente, nec sibi præjudicium inferre. Et addo juxta sent. quam tradidi hoc 2. l. disp. 41. n. 47. si adhibita diligentia sufficienti, nequeat vincere dubium, posse utendo sua possessione, etiam petere: nec in hoc sibi parare præjudicium, quin possit servitute detecta, ab illo matrim. recedere, cum invalidum fuerit, nec illa copula ratificatum. Posset tamen conjux tutissime amplecti priorem sent. probabilem, & nolle reddere, etiam mandante judice, quia forte judex erit primæ sent. & coget postea cum ea manere.

9 Ad 1. argum. prioris sent. constat ex dictis n. 5. Ad *cap. 2. de conjug. servorum* dic intelligi, quando conjux audivit servitutem a fide dignis, itaut non dubium, sed opinionem concipiat; & ita *gloss. ibi verb. Audivit*, ait, *suppl. & credidit.*

DISPUTATIO XLIV.

Utrum si conjux, qui bona fide contraxit, postea non dubitet, sed opinetur matrimonium esse nullum, possit petere, & reddere?

SUMMARIUM.

Refertur opinio asserens neutrum posse, num. 1.
Hic non potest petere, etiam adhibita sufficienti diligentia. 2.
Tenetur reddere, dum non ita certus est nullitatis, ut parum dubii superst, 3.
Quid, si habeat opinionem, tam nullitatis, quam valoris matrimonii. 4.
Solvuntur argumenta. 5.

1 VIdetur in hoc eventu non licere petere, nec reddere: quia huic non suffragatur possessio, ut dixi hoc 2. lib. disp. 41. num. 30. quia solum in causa pari prævalet conditio possidentis, *reg. in pari, de reg. jur. in 6.* hic autem non est par causa, cum habeat assensum opinativum non esse matrim. Et confirmatur, quia dum aliquis opinatur rem, quam bona fide cepit possidere, alienam esse, non potest retinere: ergo dum opinatur non esse matrim non potest uti possessione. 2. hic assentitur hanc non esse suam, ergo assentitur, dum accedit ad illam, se fornicari: quia fornicatio est accessus ad eam, quam aliquis credit non esse suam. Hujus sent. videtur clare *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 9. vers. Secunda nota, Silv. Matrimonium 4. q. 9. d. 3. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 243. num. 6.* ubi dicunt credentem probabiliter non esse matrim. non posse petere, nec reddere: ejusdem videtur *Sotus 4. d. 27. qu. 1. art. 3. vers. Tunc ergo*, ubi ait habentem causam assentiendi non esse matrimonium, non posse exercere officium conjugale. Ejusdem videtur *Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 12. num. 232.* ubi ait, si valde verisimilis, & probabilis ratio esset, quæ dubium injecit conjugi, non posse petere, nec reddere.

2 I. Conclusio sit, conjux probabiliter opinans nullum esse matrimonium, non potest petere. Constat, quia dum dubitat, id probavimus disp. 41. n. 45. nedum quando opinatur. Imo licet dixerimus ibi, n 47. dubitantem post adhibitam diligentiam posse petere: contrarium dicendum est de hoc opinante. Quia dubitanti suffragatur possessio, non autem (ut probavi eadem disputatione, n. 30.) favet habenti assensum opinativum.

3 II. Conclusio, tenetur tamen reddere non obstante ea opinione nullitatis matrim. donec ita certus sit, ut parum dubii remaneat. Probatur ex *D. Aug. l. de fide, & oper.* & refert *cap. Si virgo 34. q. 2.* ibi, *si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit: si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit*, ubi pondero non dixisse, Si opinatur, sed si sciat. Quem textum explicans *Silv. Præscriptio 1. q. 3. d. 3.* ait, sumi illic scientiam pro certitudine. 2. probatur ex *c. Inquisitioni, de sent. excomm.* ibi, *si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, reddere debet* ubi pondero ea verba, *non evidenti, & manifesta*, quasi dicat, Quando non fuerit firma, & manifesta credulitas, reddat. 3. quia ut possim alium sua possessione spoliare, oportet me certum esse rem non esse suam, & ita universi DD. ut licita sit compensatio, petunt certitudinem in utenti illa. Et confirmatur, quia licet huic opinanti non suffragetur sua possessio, ut ea petendo utatur, cum tamen alter bona fide possideat, juvabitur utique possessione illa, ut exigere possit, & teneatur alter reddere. Hanc tenet *D. Th. 4. d. 41. q unica art. 5. quæstiunc. 1. ad 3.* his verbis, *aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem; si primo modo, nec exigere, nec reddere debet; si secundo, debet reddere, sed non exigere, & idem D. Th. 4. d. 38. fine, in expositione lit. & D. Bonav. ead. d. in princ. in exposit. lit. ad fin.* explicantes quando non liceat petere, nec reddere, dicunt tunc contingere, quando adest causa certitudinem nullitatis matrimonii efficiens, Tenent etiam clare *Palu l. 4. d. 36. q. 2. art. 2. num. 14. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 3. §. 2. Angel. Matrim. 3. imped. 4. num. 8.* ubi explicantes quando non liceat reddere, inquiunt, *quando habet scientiam, idest*

firmam impedimenti credulitatem: idem tenet *Rosella verb. Impedimentum, imp. 1. num. 17. & imp 12. num. 1. & Silv. Matr. 4. qu. 12. d. 2.* cum enim dixisset probabiliter, credentem non posse petere, nec reddere, refert supplementum asserere posse, & teneri reddere: & subdit hæc, *hoc non est contra me, idem enim dico, sed tunc quando probabiliter credit, firmiter hoc tenendo, non potest reddere, & Matrim. 8. q. 3. d. 5. ad fin.* explicat *d. c. Inquisitioni*, dum dicit dubitantem teneri reddere, ut intelligatur, quando causa probabilis non ducit ultra terminos dubii, itaut conjux credat, sed non firmiter, sed quasi titubans: & *Matrim. 6. q. 8.* ubi dicit tunc nec posse petere, nec reddere, quando constanter credit adesse impedimentum. Idem *Conradus tract. de contr. q. ult. concl. 3.* ubi hæc ait, *si alter incipit probabilem impedimenti credulitatem habere, nec tamen sit omnimode certus, tenetur reddere.* Idem *Sotus l. 5. de just. q. 5. ar. ult. ad fin. ver. Post hæc autem & Ledes. 2. p. 4. qu. 18. ar. 1. dub. 14. f. 231. col. 2.* ubi hæc dicunt, *non potest uxor dubia spoliare virum jure suo; quousque certa sit.* Idem *Navar. sum. cap. 22 nu. 81.* quamvis enim *n. 77.* videatur oppositum sentire, illis verbis, *si probablemente creo, que esto no es matr. non puede pedir, ni pagar*: at *n. 81.* se explicat de firma credulitate, ibi: *no es firma obligada a creerlo, ni a dudar, pero si a hazer deligencia, y halan de se verdad. sin duda no puede pedir, ni pagar el debito.* Idem docent *Corduba l. 3. quæst. 9. q. 5. prop. 2. fin. §. Conversio autem, & q. 8. f. 183. col. 1. §. Ex supra dictis sequuntur, & §. Adducant prosse, & §. Tertio corollario sequitur, & sum. q. 45. pun. 3. f. 118 Ledes. 2. p. 4. q. 54. a. 4. f. 473. col. 3* licet enim prius videatur tenere non posse petere, nec reddere habentem opinionem nullitatis matrimonii: at se explicat, quando est vehemens opinio, & levis probabilitas, seu formido de oppositio: *Enriquez lib. 12. de matr. c. 6. num. 7. Petrus de Ledesm. de matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. in sol. ad 3. primæ sent. f. 146. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 243. num. 4.* Addit tamen *Enriquez eo. c. 6. num. 7.* licet dubium declinet ut probabilius videatur conjugi subesse impedimentum, debere reddere, dum certus non est per assensum opinativum probabiliorem. Sed credo non sufficere, ut opinetur probabilius esse, non valere matrimonium, nisi ita firmiter, & vehementer credat, ut parum dubii superfit: ut ceteri DD. dicunt: & ita *Pet. de Ledes. proxime citatus* dicit teneri reddere, licet verisimilius sit non esse matrim. & vide num. seq. fine, qualiter intelligatur hæc sententia.

III. Conclusio, si conjux habet probabilem assensum impedimenti, habet enim probabilem opinionem vitæ prioris viri, & similiter probabilem assensum mortis, & ita valere matrimonium, potest reddere, & petere debitum. Quia licitum est amplecti opinionem probabilem valoris matrimonii. Sic *Ledes. 2. p. 4. q. 54. ar. 4. fol. 474 col. 1. Petr. de Led. de matrim. q. 45. ar. 1. finem in solut. ad ult.* Et addo idem esse, quamvis probabilius crederet non valere matrimonium: si enim probabilem opinionem valoris habeat, potest petere, & reddere, ut dixi disp. 42. nu. 9. unde dum dixi num. præced. habentem opinionem nullitatis matrimonii, teneri reddere, non tamen posse petere: intelligendum est, quando non habet assensum opinativum utriusque partis, sed solum nullitatis matrim. cum dubio, & formidine valoris.

Ad 1. argum. ex propositis n. 1. negatur consequentia, non enim, teneri reddere, provenit ex possessione, quam conjux opinans non habet, sed ex alterius possessione, qua ipsum spoliare nequit propter suam opinionem, donec certum sit. Ad confirmationem, negatur consequentia, quia in restitutione rei illius alienæ, non est alicujus legitima possessio in cujus damnum illa restitutio credat: at in negatione debiti, est legitima possessio alterius conjugis. Ad 2. neg. conseq. fornicatio enim est accessus ad eam, quam constat non esse suam, at huic non constat, sed cum formidine opinatur: quare licet speculative opinetur non esse suam, at practice opinatur, posse accedere ad eam reddendo, ne spoliet sua possessione.

DISPUTATIO XLV.

Quando conjux merito possit esse certus de matrimon. nullitate, & quando probabiliter dubitare?

SUMMARIUM.

Quot sint quæstiones agitandæ, num. 1.
An credatur in utroque foro conjugi dicenti se fide consensisse, num. 2. & ibi cur credatur alicui in foro conscientiæ pro se, & contra se, non autem in foro externo. 2.
An ei credatur, ut teneatur alter a matrimonio abstinere, & quid si jurat. 3.
Sat est moralis certitudo, ut possit aliud iniri matrimonium, 4.
Judicis arbitrio relinquitur, quæ sint conjecturæ, n. 5. & ibi, quid si statim reclamet, & juret. Et quid, si incontinenti revocet consensum, & quando sit incontinenti, 6.
Quid, si conjux se statim retractans, transeat ad religionem, ordines, vel aliud matrimonium, vel tetis viribus resistat., 7.
Quid, si vir sit longe dispar, nec statim se retrahet, sed transeat ad aliud matrimonium, religionem, aut ordines, nu. 8.
Et quid, si non sit dispar, juret tamen, & transeat ad prædicta, 9.
Apud Indos an sit sufficiens conjectura, dicere, alterum se fide consensisse, 10.

Improbatur opinio asserens sufficere solam viri confessionem ficti consensus, 11.
Quid, si puella dicat se ficte consensisse metu parentis, 12
An sit necessaria judicis auctoritas ad inducendum aliud matrimonium, existentibus his conjecturis ficti consensus, 13.
An credatur viro juranti, quando conjecturæ priores consensus sunt ebenentes, si neget consensum, & verba matrimonii, n. 14. *& quid si uterque neget consensum*, 15.
Quando propter hanc confessionem ficti consensus, non liceat alteri, aut consirenti, petere, aut reddere: remissive, nu. 16. *Post quam inveniesalia Summaria*.

1 CUm disp. præcedentibus traditum sit, leve dubium valoris matrimonii, deponendum esse, grave, & probabile impedire solam debiti petitionem, certitudinemque ejus nullitatis, impedire prorsus usum: superest hac, & seq. disp. tractare, quando merito conjux, certus, quando autem dubius esse possit. Sunt autem in hac disput. quatuor quæstiones agitandæ. I. Quando credatur conjugi afferenti fictum consensum. II. Quando protestatio præmissa matrimonio, ficti consensus præstandi, id probet. III. An dicenti adfuisse impedimentum, testimonium, si fide dignus sit, sufficiat, ut conjux credat, vel dubitet, & abstineat. IV Qualis probatio impedimenti dirimentis sufficiat ad matrimonium dissolvendum.

2 Quæstio I. Quando teneatur conjux credere prius matrimonium irritum esse, ob dictum alterius asserentis se ficte consensisse, ut ita possit aliud inire matrimonium. Sit prima conclusio, si tractetur de fide adhibenda viro, respectu sui ipsius: in foro conscientiæ credetur, secus in foro externo, nisi probet, Et ratio est, quia in foro conscientiæ tantum agitur de salute spirituali alicujus & componenda cum Deo conscientia: in foro autem externo, de administranda justitia actori jus suum petenti: & inde est, ut in illo ftetur confessioni, pro se vel contra se, in hoc autem allegatis & probatis: facile enim justitia evertereturr, si confessioni soli litigantium standum esset. Item quia verba externa, signa sunt affectus cordis, teste *Arist. 1. p. periherm. c. 1.* at signa speciem præsumptionis, & conjecturæ indicant, his enim nominibus *Tullius l. 1. de inventione*, & *Quintilianus l. 5. instit. orat. c. 9.* signa appellant, sed in foro conscientiæ locus non est præsumptioni, sed hæc veritati cedit. Tandem, quia nemo ita salutis suæ immemor præsumitur, ut quærens Deo reconciliari in interno foro, falsum deponat: & ita fatentur omnes, & *Cov.* multos referens *4. decr. 1. p. c. 4. n. 1. n. 9. & 2. p. c. 2. n. 2. Menoch. de præsumpt. l. præsumt. 77. num. 16. & l. 3. præsump. l. n. 29. & 37. cum sequentib. & cons. 385. n. 21. vol. 4.*

3 Secunda conclusio, si tractetur de fide adhibenda viro respectu mulieris, ut ita teneatur, vel possit ei credere asserenti se ficte consensisse, ut sic nequeat eo uti matrimonio, & alii nubere: non tenetur regulariter ei neganti se vere consensisse, fidem adhibere. Probatur ex *c. Per tuas de probat.* ibi, *Nimis indignum est juxta legitimas sanctiones, ut quod quisque sua voce lucide protestatur est, valeat proprio testimonio infirmare*. Item quia verisimilius est modo mentiri, quam in contractu principali Sic docent *Sotus 4. d. 30. q. 1. §. Sed de facto, Ricard. 4. d. 27. a. 1. q. 4. & d. 19. a. 1. c. 3. Palud. 4. d. 27. qu. 2. a. 1. concl. 2. num. 5. Adr. 4. qu. 2. de matr. §. Ad secundum vers. Forte petes, in parvis voluminibus f. 394. Victoria Summa de matr. n. 248. Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 3. prop. 1. vers. Quo ergo gradatim, Led. 2. p. 4. qu. 47. a. 2. f. 449. col. 2. Veracruz 3. p. spec. art. 13. concl. 1. Palacios 4. d. 27. disp. 1. fol. 566. Barth. a Ledes. de matr. dub. 19. concl. 1. & 3. Petr. de Ledesma de matr. q. 45. ar. 1. dub. 2. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 39. §. Ex prædictis sequuntur. Manuel tom. 3. num. 2. edit. c. 243. num. 6.* Et ex jurisperitis *Turrecremata 3. q. 2 in sum. num. 10. Rosella. Matrim. 4. tritio, Angel. Mat. im. 1. num. 14. Silv. Matrim. 4. q. 1. & 2. Nav. summa, c. 22. num. 82. Menoch. cons. 385. nu. 20. vol. 4.* Quod verum est regulariter, etiam si juret vir falsum illum consensum, nam nulla alia circumstantiæ concurrant, de quibus n. 5. 9. & 14. dicemus, non est ei credendum. Sic *Ricardus ea q. 3. Adr. Sotus, Navarr. Ledes. Palac. Bart. a Ledes. Manuel ibid.*

4 III. Conclusio, ea certitudo requiritur, & satis est, ut possit credere mulier, & aliud inire matrimonium, quæ virum prudentem, certum moraliter redderet ficti consensus alterius. Quia certitudo physica haberi nequit, cum ea, quæ ab hominis corde pendent, soli Deo nota sint: ergo sufficit certitudo moralis: hæc autem cum jure definita non sit, nulla certior regula præscribi potest, quam ut ita ea, quæ virum prudentem attentis circumstantiis occurrentibus certum redderet. Sic *Silv. Matrimonium 4. q. 9. dist. 3. Nav. sum. cap. 22. Hisp. num. 77. Lat. n. 76. vers. 3. Cov 4. decr. 2. p. c. 2. num. 4. Petrus de Led. de matrim. q. 45. art. 4. fin.* & constat ex omnibus Doctoribus citandis corollar. seqq. ob conjecturas enim probabiles prudentis arbitrio concedunt faculatem alii nubendi.

5 Hinc 1. Interfur judicis arbitrio committi, quæ sufficiant conjecturæ, certitudinemque moralem faciant: licet enim vir statim reclamet, ac jurer se non consensisse, possunt esse ea indicia, ut jure optimo fides ei adhibenda sit: ut si dignus matrim. se offerat. Sic *Silv. Matrimon. 4. q. 1.* credetur tamen dicenti se non consensisse, quando testibus probat verisimilia signa ficti consensus: ut bene docet *Palud. 4. d. 27. q. 2. a. 2. concl. 4. nu* 14.

6 2. Infertur, esse sufficientem conjecturam, si cum vir protulit verba consensus, in continenti revocat: potest enim præsumi, per errorem ea verba protulisse: sicut *cap. Præterea, de testib. cogen.* definitur, testem se in continenti retractantem, admittendum esse, præsumique prius testimonium ex errore promanasse. Sic *Ricardus 4. d. 29. art. 1. qu 3. Adrianus* quem retuli n. 3. *Turrecremata, eod. num. allegat. Veracruz 3. part. spec. art. 13. concl. 2.* & addit, vel factis ostendit, se non consensisse, statim fugiendo. Et explicat statum, adest, non multo tempore transacto post matrim initum. Sed non puto in hoc casu sufficere, non multum temporis transactum esse, sed debet esse ita in continenti, ut potius per errorem, & inadvertentiam, vel lapsum linguæ videantur ea verba prolata: nisi aliæ circumstantiæ concurrant, quæ fictum consensum probent.

7 3. Infertur esse sufficientem conjecturam ut possit uxor alii nubere, si vir statim se ficte consensisse aperiat, aliudque matrimon. ineat. Illa enim contensus ficti citissima manifestatio, & simul audere aliam uxorem ducere, videntur manifestare fictum consensum: non enim præsumendum est, si vere consensisset, tam cito fore, ut pœniteret, ac tam immemorem suæ salutis illum esse, ut auderet ad alias nuptias migrare. Sic *Rosella Matrimonium 4. num. 3. Ang. Matrimonium 2. num. 16. Silvest. Matrimonium 4. q. 9. dict. 1. Navar. Summ. cap. 22. Hisp. num. 77. Lat. num. 76. vers. Tertio, Barth. a Ledesm. de matrim. dub. 19. concl. 3. Petrus de Ledesma de matrim. q. 45. art. 4. fine.* Idem dicendum erit, si vir statim declarat fictum consensum, & transeat ad religionem: quia non præsumendum est eligentem statum adeoperfectum, seculoque renuntiante m, sceleus admittere velle, ut fraudet uxorem debito matrim. aliudque initum ipsa ineat, si consensus non fuerit fictus. Sic *Rosella ibi, Silvest. ead. quæst. 9. dict. 3. Navar. & Petr. de Ledesma ibi*, addunque hi duo: & bene idem esse de viro ad ordines sacros promoto: quia pariter est status incompatibilis cum priori matrim. Idem asserunt *Angel. ibi, & Silvest. eo dict. 3.* si vir statim fictum consensus patefaciens, totis viribus recuset prius matrim. Sed melius ceteri dicunt requiri ut transeat ad statum incompatibilem, *& Rosella* dicit alias non esse tutum dare facultatem feminæ alii nubendi.

8 4. Infertur, esse similiter sufficiens judicium, si vir asserens se ficte consensisse, sit longe dispar, itaut prudenti arbitrio vix credi possit eum illam duxisse. Sic *Rosella, Silvest. dict. 2. Angel. Navar. Barth. a Ledesma. Petr. de Ledesma allegati num. præced. Victoria Sum. de matr. num. 249. Sotus 4. d. 27. q. 1. art. 3. prop. 1. vers. Quo ergo gradatim. Menoch. de præsumpt. l. n. 35. & cons. 385. num. 20. vol. 4.* & valde favent *Covar. 4. Decr. 2. p. cap. 2. num. 4. & Palacios 4. d. 28. disp. 1. fol. 628. col. 2. fine*, ajunt enim, conjecturas probabiles ficti consensus, ut possit mulier tute alii nubere, tribuere generis, divitiarum, statuve conditionem valde disparem. Idem erit, si vir ad religionem tranfeat. Sic *Rosell. Silvest. dict. 3. & Navarr. ibi*, qui addit idem esse, si is vir ordine sacro initietur. Viro autem non promoto ad illum statum, non est tutum feminæ ad alias tranfire nuptias; cum passim exempla virorum, qui cœco amore capti nuptias valde impares celebrant, fuppetant. Sic *Rosella Silv. Nav. Bart. a Ledesma ibid.*

9 5. Infertur: esto non invenatur ea disparitas, & post temporis intervallum fictus consensus detegatur a viro, si id juramento confirmet, & ex vitæ ejus qualitate probabile sit eum non pejerare, quia solitus est quotannis sacramenta recipere, bonorumque familiaritate uti, & simul aliam uxorem ducat, vel religionem profiteatur, vel (ut addit *Nav.*) ordinem sacrum assumat, esse sufficiens indicium ficti consensus. Quia non est verisimile, eum velle, in re tam gravi, subique & uxori adeo perniciosa mentiri. Sic *Rosella Silvest. d. 3. Navarrus allegati, num. 7. Ledesm. 2. p. 4. quæst. 47. ar. 2. fol. 449. col. 2. §. Sed quid facientibus*. Imo latius loquitur *Adrianus 4. de matrim. quæst. 2. §. Ad secundum, vers. Forte, in parvis vol. fol. 394.* ait enim, etsi post longum tempus vir patefaciat fictum consensum, si prius perditis erat moribus imbutus, & jam a cepto eo tramite destiterit, pœnitentiæque antecactæ vitæ signa præbuerit, esse sufficiens signum ficti consensus. Sed credo magna debere esse hujusmodi signa, & talia, ut vir prudens omnino acquiescat, & rarissime hoc sufficere.

10 Apud Indos autem, ait *Veracr. 3. p. specul. a. 13. concl. 3.* probabile esse, attenta eorum conditione, & consuetudine facile consentiendi ficte, si alter dicat se ficte consensisse, aliudque matr. ineat, posse alterum fidem adhibere, & ad alias nuptias transire, si certo non norit eum mentiri, sed conjecturas habet, ut possit dubitare, an verum dicat: ut quia amore nimio, vel aliquali timore, vel modica deliberatione verba matrimonii protulit. Sed ego non auderem facile hanc licentiam illis concedere: sunt enim barbari, & velati rationis expertes, & sicut facile consentiunt ficte, sic facile mentiuntur: unde oportet eos esse probatæ vitæ, ut duximus nu. præc. ut eis fides adhibeatur.

Ex his fit non esse credendum *Tabienæ Matrimonium 2. q. 7. num.* 8. ubi absolute dicit, posse conjugem credere alteri asserenti se ficte consensisse, & maxime si ad aliud transeat matrimonium; & ob hanc solam assertionem posse aliud matrimonium inire. Sed hoc non est verum, nisi aliæ circumstantiæ dictæ concurrant. Illa enim simplex assertio non induceret virum prudentem, ut in re tam gravi plenam fidem adhibeat.

12 6. Infertur, si puella neget verum consensum se præstitisse, verisimilibus conjecturis metum patris comprobans, esseque honestæ vitæ, & alii nubit, sufficiens esse conjecturam, ut possit vir aliam

aliam ducere. Sic *Sotus 4. d. 27. q. 1. ar. 3. propositione 1. vers. Quo ego gradatim, Bartholomæus a Led. dub. 19. de matrim. concl. 3.* Et intelligo non de metu cadenti in virum constantem, qua tunc frustra aliæ conjecturæ exigerentur, cum matrimonium esset irritum, quamvis femina vere consensisset.

13 Rogabis autem, utrum concurrentibus dictis circumstantiis ficti consensus, licitum sit absque judicis auctoritate, matr. priori spreto, ad aliud tranfire? Dic hodie vix posse contingere casum, ut id liceat (ut bene dicit *Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 243. n. 6.*) quia cum debeant matrimonia coram parocho, & testibus celebrari, & parochus contrahentium nomina teneatur in libro ad id destinato scribere, scandalum sequetur, nisi prius matr. publica Ecclesiastica auctoritate irritum declaretur. At si prius matrim. probari nequit, quia parochus & testes objere, nec liber in quo nomina contrahentium scripta sunt, comparet, poterit tuto in loco longinquo, ubi scandalum non esset, concurrentibus prædictis ficti consensus circumstantiis, alter conjux aliud contrahere matrim. (ut bene *Enriquez l. 11. de matr. c. 12. n. 4. Bart. a Led. de matr. dub. 19. fin.*) poteruntque etiam hodie prædictæ conjecturæ deservire, ut ex eis judex Ecclesiasticus, coram quo lis agitanda est, deprehendat fictum fuisse consensum.

14 7. Infertur, si conjecturæ prioris consensus sint vehementes, quia non est notabilis disparitas, nec tam verisimilis metus adfuit, & talibus verbis, & modo vir consentiat, ut arbitrio prudentis non possit uxor non credere, vere maritum consensisse, nec tenetur, nec potest credere, licet vir juramento neget consensum: ut dixi n. 3. fine. Sic *Sotus, Barth a Ledes.* ubi eos retuli *num. 12. Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumpt. 1. num. 35. & consil. 385. num. 20. volum. 4.* Similiter si alter non tantum neget verum consensum, sed etiam verba consensum exprimentia, alter conjux certus de verbis prolatis, non poterit aliud matrim. inire: sicut enim alter mentitur negando verba, potest præsumi veritatem consensus negando, eum mentiri. Sic *Veracr. 3. p. spec. a. 13. concl. 4. Bart. a Led. de matr. d. 19. concl. 1. fin.*

15 Utrum autem dissensus in matrim. probatur utrisque conjugis confessione, asserentis se ficte consensisse? Negant *Palud. 4. d. 27. q. 2. a. 5. nu. 28. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. paulo post princip.* Et potest probari, quia non satis est confessio impedimenti dirimentis, facta ab utroque conjuge, ad matrim. dissolvendum. Sed meo judicio longe dispar est ratio, quia eetera impedimenta possunt alia via probari, cum externa sint: dissensus autem, cum in corde lateat, non potest alia via probari, nisi per conjugum confessionem, licet conjecturæ aliæ possint adhiberi: & ideo admittatur facilius in hoc casu utriusque conjugis confessio. Et ita *Bal. l. fin. n. 21. C. de hæred. inst.* affirmat dissensum in matrimonium probari utriusque conjugis confessione: quod bene *Greg. Lop. l. 5. verb. La Tglesia, tit. 2. p. 4.* dicit forte procedere, nisi collusionis præsumptio adesset.

16 Quando autem stante prædicta conjugis confessione, ficti consensus, non liceat alteri, vel consitenti, reddere, aut petere, dixi disp. 41. n. 52.

SUMMARIUM.

An protestatio, qua alter conjux ante matrimonium protestatus est, se per nulla verba consentire: probet dissensum: referuntur duæ opiniones, n. 17. & 18.
Probat, si fiat altero sciente, & consentiente: & item in omni contractu pendenti ex duorum voluntate, 19.
An satis sit, si altero præsente, & tacente, fiat protestatio, 20.
Quid, si præmissa protestatione, altero sciente, & consentiente, sequatur copula, videaturne a protestatione recessum, & præsumatur consensus in matrimonium: & quid, post Tridentin. 21.
An quando est justa causa non intimandi protestationem, valeat non intimata, ut propter scandalum, vel metum, & qualis metus esse debeat? & quid, si a quodam tertio incutiatur. 22.
Quid, si sequatur copula, post protestationem clam ex justa causa factam, 23
An quid hæc conferant pro foro interno, & externo, an scilicet hæc protestatio excuset ficte consentientem, ne vere consentire teneatur, 24.
Post quæ sunt alia Summaria.

17 QUæstio II. An protestatio, qua alter conjux protestatus est, ante matrim. se nolle per quæcumque verba postea a te dicta matrim. contrahere, sit sufficiens dissensus indicium? Quidam affirmant. Sic *Jo. And. c. Tua, de spons. num. 13. Calderin. cons. 1. de his, quæ vi. Barbatius cons. 60. num. 8. ad fin. lib. 1. Ant. Gabriel. t. 2. communium, lib. 14. verb. Protestatio f. 248. col. 2. in mea edit.* additque prodesse hanc protestationem altero ignorante factam: & ex Theologis, *Petr. de Led. de matrim. q. 45. art. 4 fine, Manuel 1. to sum. 2. edit. c. 243. nu. 6.*

18 Alii vero dicunt eam protestationem non prodesse, sed adhuc præsumi ab ea recessum esse matrim. postea inito. Sic *gl. cap. Tua, de spons. verb. Mulierem, Guillermus*, quem refert, & sequitur *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. §. 1. Tabiena matr. 2. q. 7. num. 8. Nav. sum. c. 22. Hisp. & Latine n. 78.* & addit *Hispane*, licet post protestationem copula secuta non sit.

19 Ceterum distinguendum est sic, si ea protestatio fiat altero conjuge sciente, & consentiente, valet, & per eam recessum videtur a consensu sequenti, nec præsumetur matrimonium: si vero fiat altero ignorante, aut si scivit, dissensit protestationi, nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. Probatur prior pars, quia cum alter consensit, videtur cedere jure suo, & nolle contrahere matr. posterior vero pars probatur, quia matr. est contractus ex duorum voluntate pendens, id autem generale est in omni contractu hujusmodi, ut protestatio alterius nihil juvet, nisi altero sciente, & consentiente facta fit, *l. fin. §. item si prædi it, cum gl. ff. nautæ, caupo. c. Cumana*, cum *gl. & c. in Genesi, de electione*: & plene notatur per *Bartol. Jason. & DD. l. Non solum, §. Morte, ff. de novi oper. nuntiat & per Joann. regul. In generali, de regul. jur. in 6. Panor. c. Tua, de spons. num. 9. Nav. cap. Nullam, 18. q. 2. n. 14. quod est commentarium 3. de regularib.* ergo talis protestatio ficti consensus alteri non intimata nil prodest. 2. quia protestans faciendo actum contrarium protestationi videtur ab ea recedere, & simpliciter consentire, *l. Cum in plures, §. Locator horrei ff. locati, & cap. Sollicitum, de appellat. & elegantes Jason l. Non solum, §. Mo te, n. 14. & ibi Ant. Rubeus n. 224. ff. de novi oper. nuntiat.* ergo non prodest protestatio. Ita tenent *Innoc. cap. Veniens el 2. de spons. num. unic Ant. cap. Tua, eod. tit. num. 16. Anchar. num. 8. Abb. num. 9. Alex. de Nevo nu. 15 Præpos. n. 2. fine Felin. cap. Cum M. de constit. 78. & ibi Ripa num. 86. Brunel. de spons. concl. 10. num. 11. Covar. 4. decret. 2. p. cap. 2. num. 3. Mascard. de prob. concl. 1248. num. 12* ubi alios refert: *Matienzo l. 5. recop. tit. 1. rubr. glos. 1. num. 66. Lancellotus instit. juris canon. lib. 2. tit. de nuptiis, verb Judicari.* Et ex Theologis, *Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. c. 39. §. Præterea, ut jurisilis.*

Et quamvis non consitet apud auctores, an satis sit consensus tacitus, quando scilicet altero præsente, & tacente, fit protestatio, ut per eam videatur a futuro consensu recessum: vel exigatur expressus: ut notant multi, quos refert *Cov. 4. decr. 2. p. c. 2. num. 3. & Nav. c. Nullam, 18. q. 2. n. 14.* ait in dubio non videri consensum, si protestatio alteri noceat. At in matrimonio bene docent *Cov. ibi, & Matienzo n. præc. alleg.* requiri expressum, ne tantum Sacramentum illusione, & levitate contrahentium tractetur. Nam & in ceteris achibus, ut protestatio valeat, expressum consensum defiderari tradant *Bart. Alex.* & communis, quos *ibi* refert *Cov.* Quare non est audiendus *Ant. Cucus l. 5. instit. major. tit. 12. num. 103.* dicens satis esse in matr. altero in præsente, & tacente protestatione fieri.

Intellige tamen priorem partem, ut protestatio facta altero consentiente valeat; nisi postea a copula secuta fit, tunc enim videtur omnino a protestatione recessum: & præsumetur matrimonium. Probatur ex *c. Per tuas, de cond. it. appos.* ubi contracto matrimonio sub conditione nondum impleta, & ita nondum existente perfecto consensu recedi a conditione dicitur, & perfectum consensum effici, copula secuta. Et *c. Insuper, qui matr. accus. poss.* allegabat mulier, testibus comprobare nitens dissensum: & tamen non auditur, quia postea permisit copulam, per quam a dissensu videtur recessisse. Sic *gl. d. c. Per tuas, verb. Præsumendum, Innoc. c. Veniens, el 2. n. un. de spons. Ant. Anch. Abb. Alex. de Nevo, Felin. Cov. Matienzo, Lud. Lop.* ubi n. 19. allegati sunt: *Silv.* alios referens, *Matr. 4. q. 11. Rosella Matrim. 4. n. 11. Nav. Summa Latina c. 22. nu. 78 Greg. Lop. l. 3. t. 1. p. 4. verb. Conella, Menoch.* multos alios referens, *de præsumpt. l. 3. præsumpt. 1. n. 15.* Et ratio hujus præsumptionis est, ne inducatur turpitudo protestantis, & peccatum in ea copula: delicti enim præsumptio omnino vitanda est, *l. Marito, ff. pro socio.* Quamvis contrarium teneat *Præpos. c. Tua, de spons. num. 2.* dicens non ratificari per illam copulam. Cujus opinio quamvis jure communi vera non esset, hodie tamen attento *Tridentino sess. 24. de matrim. cap. 1.* verissima est: quia cum jam per illam copulam matrimonium ratificari non possit, ut bene ait *Matienzo ibid.* & ita evitari non possit delictum illius copulæ fornicariæ, cessabit omnino matr. præsumptio: ut in simili probavi l. 1. disp. 26. n. 12. Si tamen nullitas matr. illius, quod coram parocho, & testibus fuit celebratum, ita occulta fuit, ut in foro externo probari non possit, habebit locum doctrina communis: quia hodie potest ratificari matr. illud, copula affectu maritali, sicut jure antiquo eadem convalescebat: ut probavi hoc 2. disp. 37. n. 14.

2. Intellige aliam partem, ut non valeat protestatio altero non consentiente præmissa, ut intelligatur quando dolose facta fuit, ideit, circa justam causam: secus si causa justa adesset, ut si quis metu cogatur matrimonium inire, & clam protestetur, se minime consentire, valebit protestatio, nec ab ea videtur recessum: ut colligitur ex *c. Lotarius 31. q. 2. & ex cap. 1. de his quæ vi, & docent ibi gl. verb. Præpositi, Innoc. ibi, n. 3. Card. fine, Abb. num. 14. Hostien. cap. Tua, de spons. al. fin.* ubi *Joan. Andr. num. 14. Ant. num. 16. Cardin. fine, Abb. num. 9. Anch. num. 8. Host. num. 4. Alex. de Nevo num. 13. Præpos. n. 2. Paul. cons. 45. num. 2. lib. 1. Ripa cap. Cum M. num 115. de constit.* ubi *Fel. nu. 78. & seq. Gerard. singul. 81. Berosius cons. 25. num. 9. lib. 1. Silv. Matrimonium 4. q. 11. Tabiena Matrimonium 2. q. num. 8. Nav. summa, c. 22. num 78. Mascard. de probat. concl. 1248. num. 13. Lancellot. instit. juris canon. l. 2. tit. de nuptiis, verb. Judicari.* Et ex Theologis, *Enriq. lib. 11. de matr. c. 11. num. 4. commento, lit. T.* & constat ex decisione *Dyni l. Qui in aliena, §. ji. ff. de acq. hered.* ubi dicit, cautelam esse, ut timens fore ut cogatur per potentem ei vendere fundum, clam coram testibus protestetur dissensum: hæc enim protestatio efficiet, ut venditio nulla sit: & quamvis *ibi Bart. ad fin.* reprehendat Dynum, eo quod cum

venditio pendeat a duorum voluntate, debet protestatio notificari alteri. *Bald.* tamen, *Angel.* & *Imola ibi*, defendunt Dynum: respondentque id fallere, ubi justa causa protestandi concurret. Quod idem docet dicens esse receptam traditionem, *Nata cons.*451. *n.*22. *lib.*2. *Riminal.cons.*362. *num.*86. *lib.*4. *Socin.* & *Decius*, quos refert, & sequitur *Ant Gabr. t.*2. *commun. in mea edit. l.*14. *verb. Protestatio*, *f.*248. *col.*2. *Ant. Cucus lib.*5. *instit. major. t.*12 *n.*165. Debet tamen metus hic esse cadens in virum constantem, alias protestatio illa elancula non juvabit. Sic *Innoc. c.*1. *de his quæ vi*, *n.*3. *Cardin. fin. Abb. num.*14 & ita metum reverentialem, sufficientem non esse, ut juvet protestatio, nisi minæ, vel verbera accedant, quia aliter non est cadens in virum constantem: docent *Decii. c. cum sam matr. num.*21. *de offic. deleg. Padilla* multis allegatis *l. Interpositas*, *n.*18. *c. de transact. Salzedo super regulam Bernardi. Diaz* 532. *ampliat.*2. Similiter erit causa justa protestationis clandestinæ, vitatio scandali imminentis: ut tradunt *Silv.* & *Nav. prox. cit.* Sed dices tradita de metu, vera esse, quando protestatio fit adversus eum, quem metum illaturum, timetur: secus quando adversus tertium, qui metum non infert: tunc enim cum culpa careat, ei notificanda est protestatio, ne culpæ immunis damnum patiatur: ut bene declarant *Alex. l. Qui in aliena*, § *fin. n.*5. *ad fin. ff. de acquir. hæred.* & *consil.*16. *num.*11 *lib.*3. *Decius l. pacta novissima, num.*12. *C. de pactis*, & *c. Cum M. n.*22. *ad fin. de constit.* & *c. Causa matrim. num.*5. *de offic. deleg.* & *cons.*219 *num.*5. *ad fin. Curtius junior cons.*126. *num.*6. & ex professo defendit *Aymon. cons.*378. *a num.*9. *lib.*3. *Flaminius de resign. benef. lib.*13. *q.*1. *num.*197. limitans, quando alter ignoravit metum illatum esse a tertio. Sed respond. quicquid sit de hoc, hanc declarationem non habere locum in matrimonio, quia cum summam libertatem petat, *c. Cum locum, de sponsi.* irritatur metu gravi a quocumque illato.

83 Hæc autem II. limitatio intelligenda est, nisi protestatione ex causa justa præmissa, sequatur copula: adhuc enim videbitur a protestatione recessum. Sic *Host. Jo: Andr. Ant. Ancharan. Henric.*5. *Alex. de Ne o*, *num.*14. *Abb. Fel. Silv. Tabiena, Lancelot. n. præced. allegati Adrian.*4. *q.*3. *de matr. dub.*8. *Navr. sum. Hisp. cap.*22. *n.*78. *Greg. Lop. l.*3. *verb. Carnalmente*, *p.*4. Quid autem sit hodie post Tridentinum, dixi num. 21. fine.

84 Tandem observandum est, hæc omnia de protestatione tradita, deservire foro externo: nam in foro interno, deficiente vero consensu non erit matr. Posse tamen deservire foro interno, ut excuserur hic fictus contrahens, ratione protestationis præmissæ, ab habendo vero consensu, in casibus, in quibus licite consentiens tenebatur consentire: de quibus late lib. 1. tota disput. 10. & seq Excusabitur enim in foro interno in casibus, in quibus prodest protestatio in foro externo, juxta tradita: secus quando in illo foro non excusatur. Et ratio est, quia quando non juvat protestatio, protestans est in dolo, & culpæ reus. quando autem juvat, culpa vacat.

SUMMARIUM.

An ob testimonium unius juramiis interfuisse impedimentum dirimens, licet sit amicus, vel sit fama, vel sit parochus, teneatur conjux credere, & a matrimonio abstinere, *n.*25. *Vel diligentiam adhibere*, 26.

An teneatur tunc dubitare, velsi fama sit impedimenti, & tanquam si dubitaret se habere, 17.

Si diligentia adhibita nihil invenit, potest deponere dubium. 28.

An id si audivit a non fide digni, 29.

Post quem invenies alia summaria.

85 QUæstio III. An ob testimonium alicujus testificantis impedimentum dirimens, teneatur conjux a matr. contracto abstinere, impedimentumque credere, vel de eo dubitare? Prima conclusio, non tenetur credere, licet audierit a fide digno juranti, licet sit amicus, vel proprius parochus: quia dictum unius non inducit credendi necessitatem: ad id enim oportet esse duos, *c. Cum a nobis*, *de testibus*, & *attest* Sic *Verzecius*, quem refert, & sequitur *Silvest. matr.* 6. *q.*8. *Rosella verb. Impedimentum*, *imped.*1. *n.* 17. *Angel. matr.*3. *imped.* 18. *n.*4. *Nav. summa*, *c.*22. *Hisp. n.*81. *Lat. n.*82. *Lud. Lop. t.*1 *p. instruct. c.*81. *fumma*, *c.*22. *Hisp. n.*81. *Lat. n.*82. *Lud. Lop. t.*1 *p. instruct. c.*81. *Sum.* & idem est, quando audivit esse publicam famam. Sic *Verzecius*, *Rosella*, *Angel. Silv. Navr. ibi*: sed *Silv.* & *Angel.* dicunt non teneri sub mortali credere, unde videntur innuere teneri sub veniali: quod clare fatetur *Rosella ibi*: Sed melius *Navr.* absolute dicit non teneri credere propter rationem dictam, & quia est in maximum sui præjudicium.

86 II. Conclusio, tenetur hic diligentiam adhibere ad assequendam veritatem: quia alias esset ignorantia affectata, negligeretque rem valde necessariam suæ saluti, maneretque anceps de matrimonii valore, & sic dubius, an res sit sua, illam retineret, non adhibendo diligentiam ad dubium vincendum. Sic *Silvest. Verzecius*, *Ang. Rosel. Nav. Lud. Lop. n. præc. citati*: *idem Tabiena Matrim.* 4. *fin.*

87 III. Conclusio, dum hic non adhibet diligentiam, tenetur dubitare de matrimonii valore, & gerere se tanquam conjugem dubium, qui juxta supradicta, quamdiu diligentiam non adhibet, tenetur reddere, non tamen potest petere. Prob. quia id testimonium, vel fama merito virum prudentem dubitare cogeret. Pro hac sent est *gloss. c. Inquisitioni*, *de sent. excomm. verb. Probabili*, ubi explicans illum textum, quando est conscientia probabilis, & discreta, posse alterum conjugem reddere, non tamen petere inquit, probabilis & discreta, est ut faciat dubium, ut quia mulier vidit virum cum consanguinea, in locis suspectis, & hora suspecta, solum cum sola, vel e contra: vel est publica impedimenti fama: hæc *gloss.* fama enim justam credulitatem inducit, ut bene *Bart.* quem refert, & sequitur *Abb. c. Cum contingat*, *de rescript. nu.*4 & multi alii, quos *additionator ad Abbatem* refert, *ibi gloss. super verb. Fama*: cum autem testis fide dignus plus probet quam tama, ille enim semiplene probat, secundum omnes: hæc autem secundum multos non semiplene probat, nisi aliis adminiculis associetur: & licet alii contrarium sentiant, scilicet semiplene probare: saltem id est sub opinione, ut potest videri in *Majcard. de prob. concl.* 753. *n*5. & 6. ergo a fortiori dictum testis hde digni sufficiens erit, ut conjux dubitare teneatur. Idem colligitur ex DD. allegatis n. 25. & 26. si enim id testimonium non esset sufficiens ad reddendum conjugem dubium, non teneretur investigare veritatem, sed posset conscientiam deponere: sicut dicemus nu. 29. posse facere, quando audivit a personis non fide dignis.

IV. Conclusio, si diligentia sufficienti adhibita, nihil invenit, potest tute conscientiam deponere: quia jam non habet justam dubitandi rationem: & ita potest suam possessionem tueri. Sic *Verzecius*, *Sylvest. Angel. Lud. Lop. n.*25. *allegati*, *Navar. sum. Hisp. cap.*22. *n.*82. 88 28

Ultima conclusio, si audivit a personis non fide dignis, potest conscientiam deponere, nec ea est sufficiens dubitandi ratio. Sic *gloss. c. Inquisitioni*, *verb. Levi*, *de sentent. excomm. Verzecius*, *Angel.* & *Sylvest. allegati num.*25. 89 29

SUMMARIUM.

An ad probandum impedimentum, ut dissolvatur matrimonium, debeant esse testes, omni exceptione majores, *n.* 30.

Quid, *si opponatur impedimentum consanguinitatis*, 31.

*An satis sit fama n.*32. *Et quid*, *de utriusque conjugis fatentis impedimentum*, *confessione*, *sive pro matrimonio*, *sive contra stent*, *licet fama concurrat*, 33.

Quid, *si alter stans pro matrimonio fateatur impedimentum*, & *sit illius fama*, 34.

Quid, *si absque fama uterque conjux pro matrimonio*, *vel alter pro illo stans fateatur impedimentum*, *numer.* 35. & *ibi*, *judicis arbitrio relinquitur*, *quando hæc confessio satis sit*,

Quid, *si non agatur de dissolvendo matrimonio*, *quoad vinculum*, *sed quoad torum*, *an sufficiat confessio alterius conjugis*, 36.

An contractum esse matrimonium probetur confessione conjugum, etiam ad evitandam pœnam concubinatus, 37.

QUæstio IV. Qualis probatio impedimenti dirimentis exigatur ad matrimonium legitime contractum, dissolvendum? Sit conclusio, quamvis ad impediendum matrimonium ne contrahatur, satis sit testis, vel fama. ut late probavi l. 1. tota disput. 71. at vero ad ipsum dissolvendum, duo testes omni exceptione majores desiderantur: quia est causa gravissima, in eaque de magno præjudicio agitur. Habetur expresse *cap.*1. *de conjunguin.* ubi id docent omnes, *Sotus* 4. *d.*41. *q. unic. art.*5. *concl.* 3. *Cov.* cum aliis, quos refert 4. *decret.* 2. *p. c.*8. §.12. *n.*7. & 8. ubi optime tractat, qui hac in re dicuntur testes omni exceptione majores: *Majcard. de prob. concl.* 1035. *nu.*19. *Perez lib.*5. *ordin. t.*1. *l.*3. *fin.* 90 30

Excipe, nisi agatur de dissolvendo matrimonio ratione consanguinitatis: tunc enim sunt legitimi testes, parentes, & consanguinei, *c. Super eo*, *el* 2. *de testib. c. Videtur*, *qui matrim. accu. poss.* ubi ea ratio traditur, quia consanguinei præstantius ceteris parentelam norunt. Sic *cum aliis Majcard. ea conclus.* 1035. *n.*20. 91 31

Hinc infertur, non satis esse famam impedimenti, *cap. Si duo* 35. *quæst.* 6. Et ratio est clara, quia oportet impedimentum plene probari, at fama ad summum semiplene probat. Et hoc est sub judice, ut dixi num. 27. Sic *Majcard. cum aliis ea concl.* 1035. *nu.*21. 92 32

2. Infertur, licet ad sponsalia dissolvenda satis sit confessio utriusque sponsi, ut diximus lib. 1 disp. 72. n. 2. verum ad dissolvendum matr. minime sufficere, si uterque conjux non stans pro matrim. id est, petens id dissolvi, fateatur impedimentum dirimens. Quia in causa matrim. non statur litigantium confessioni, *c. Super eo*, *de eo qui cogno. consanguin.* Item quia cum non sit in eorum potestate matrimonium dissolvere, sicut est dirimere sponsalia, non est eorum confessioni circa matrimonii dissolutionem standum, sicut statur in sponsalibus. Sic *Hist. summa*, *t. de eo qui cogn. consang. n.*3. *Abb. d. c. Super eo*, *nu.*5. *fine*, & *ibi Alex. de Nevo*, *nu.*13. *Brunel. de sponsi. conclus.* 29. *in princ. Navar. l.*4. *consiliorum in* 1. *edit. tit. de sponsi. consil.*8. *nu.*3. *Menoc. de arbitr. lib.*2. *centur.*2. *casu* 103. *n.*8 *Majcard.* altos referens, *de probat. concl.* 1035. *nu.*29. Et ex Theologis, *Sotus* 4. *d.*41. *q un. art.*5. *concl.*3. *Veracruz* 3 *p. spec. art.* 8. Quod verum est, licet fama impedimenti cum tali confessione concurrat. Quia confessio ea, cum sit in confitentium favorem, nihil probat, & fama per se non satis est. Sic *Abb. Alex. de Nevo*, *Majcard. n.*22. *Veracruz prox. allegati*. Dixi consulto, si confessio fiat a conjugibus non stantibus pro matrimonio: si enim pro illo stent, quia non petunt matrimonium dissolvi, sed in eo perseverare volunt, judex autem ex officio inquirit, vel tertius accusat, tunc confessio utriusque simul cum impedimenti fama sufficit, *c. Si duo*, 35. *q.* 6. Si docet *ibi Anchar. Abb. d. c. Super eod. n.*6. & 7. & *ibi Alex. de Nevo n.*14. *Cov.*4. *decret. 1. p. cap.*4. §. 1. *n.*4. *Menoch. de casu* 103. *n.*9. *Majcard.* referens] *o Andr. d. concl.* 1035. *num.*23. *Veracruz d. a.*8. & *Abb.* & *Alex. de Nevo*, reprobant Abbatem antiquum, & Antonium ibi, dicentes hoc non procedere, quando impedimentum est consanguinitatis. 93 33

34 Imo sufficienter probat, si fiat confessio ab altero stante pro matrimonio, & adsit impedimenti fama: ut tenent multi, quos refert *Menoch. de arbitrar. lib.*2. *cent.*2. *casu* 103, *nu.* 10. illoque sequitur. Et quamvis *Ant. c. Super eo*, *de eo qui cogno. consang.* & *ibi Alex. de Nevo*, *n.*15. limitent, nisi conjux ille turpitudinem suam alleget. At bene improbant hoc, *Archid. c. Si duo*, 35. *q.*6. *Abb. d. c. Super eo*, *fin. Majcard. de probat. concl.* 1035. *nu.* 28. *Veracruz* 3. *p. spec. a.*8. Quia quoties de animæ periculo tractatur, allegans propriam turpitudinem, est audiendus: & ex alia parte, cum hic velit matrimonium consistere, non præsumitur in proprium caput eum falsum confiteri. 94

35 Quinimo si uterque conjux stans pro matrimonio, fateatur impedimentum, satis est ad dirimendum matrimon. licet fama impedimenti non concurrat: verisimile enim non est velle contra seipsos falsum deponere, *l. fi. C. de arbitar. tut.* Sic. *Abb. d. c. Super eo*, *n.*7. *Brunelli de sponsi. concl.*29. *num.*4. *Majcard. ea conclus.* 1035. *nu.* 31. *Veracruz d. a.*8. Et hac ratione ducti, multi docent sufficiere etiam confessionem alterius conjugis pro matrimonio stantis absque fama. Sic *gl. c. Attestationes*, *verb. Evasisse*, *de sponsi. impub.* & *alii*, quos refert, & sequitur *Covar. A. dec.*1. *p.*4. §.1. *n.*4. nisi (inquit) sit aliqua collusionis præsumptio. Sed merito hanc non sufficere in re tam ardua, desiderant multi, quos refert & sequitur *Menoch. de præsump. li.* 3. *præsump.*1. *n.*9. 10. 11. & 12. Id tamen observandum est, si præsumptio collusionis inter conjuges sit, minime probare utriusque confessionem: ut bene docent *Abb. d. c. Super eo*, *d. num.*7. *Veracruz d. a.*8. Propter quod collusionis periculum relinquitur arbitrio judicis, an talis confessio utriusque conjugis pro matrimonio stantis, sufficiens sit. Sic *Menoch. de arbitrar. l.*2. *centur.*2. *casu* 103. *n.*9. *Majchard. de probat. concl.* 1035. *n.*31. 95

36 Hæc omnia de conjugum confessione dixerim, quando tractatur de dissolvendo matrimonio quoad vinculum: si enim de solo divortio quoad torum tractetur, statur confessioni alterius conjugis contra seipsum prolatæ, *c. Ex literis*, *de divort. c. Intelleximus*, *de adult.* Sic *Abb. c. Super eo*, *num.* 5. *de eo qui cognovit*: & *ibi Alex. de Nevo n.*13. *Brunel. de sponsi. concl.*29. *n.*2. *Menoch. de arb. l.*2. *cent.*2. *casu* 103. *n.*7. *Majcard. de probat. concl.* 1035. *n.* 33. *Veracruz* 3. *p. spec a.*8. Hoc intelligit *Alex. de Nev. n.*13. quando is contitens stat pro matrimonio. Sed melius *Menoch. cod. num.*7. cum aliis, quos refert, indistincte docet stari confessioni alterius contra seipsum: ut si fatetur se adulterium perpetrasse, concedetur alteri conjugi innocenti jus divortium celebrandi: cum enim hæc confessio sit tantum in confitentis præjudicium, valet. 96

37 Tandem observa, si de probando matrimonio inter aliquos tractetur, stari eorum confessioni. Et ratio est, quia cum matrimonium solo consensu contrahatur, *l. Nuptias*, *ff. de regul. jur. c. Sufficit*, 27. *q.* 2. sola confessio probat. Sic *Abb. d. c. Super eo*, *n.*5. *Menoch.* multos referens, *eo c. su* 103. *nu.*4. *Veracr. d. a.*8. Et a fortiori statur utriusque confessioni, dicentis matrimonium contrahisse, ad evitandam stupri, vel fornicationis pœnam: ut si aliqui reperiantur in actu fornicario, & dicant se esse matrimonio conjunctos, Sic multi, quos refert, & sequitur *Tiraq. l.*5 *connub. gloss.*1. *p.*5. *n.*32. *Manoch.* alios referens, *d. casu* 103. *num.*5. ubi addit cum *Tiraquel. eod. num.* 32. hoc verum esse, quando deprehensi paris sunt conditionis: inter pares enim facilius matrimonium præsumitur: conjecturasque attendendas, an probabiliter matrimonium iniisse videantur: quod arbitrio judicis has conjecturas ex personarum qualitate perpensiari, relinquitur. Si autem id matrimon. sit contra aliud prius contractum, non stabitur conjugum confessioni, cum sit in alterius detrimentum. Sic *Abb. dict. c. Super eo*, *n.*5. *Menoch. d. casu* 103. *Veracruz* 3. *p. spec. ar.*8. 97

DISPUTATIO XLVI.

Qualiter constare debeat de alterius conjugis obitu, ut possit superiores aliud inire matrimonium. 1

SUMMARIUM.

Quid jure civili, & *canonico statutum sit*: & *an longissima absentia probetur mors alterius conjugis*, *num*1. & *an vitam hominis præsumatur centum annis durare*: & *explicatur l. fin. C. de sacro sanct. Eccles. cod. num.*1.

An auth. Hodie, *C. de repud. sit correcta*, *quoad hoc*, *jure canonico*: *possitque judex punire feminam secundo nubentem*, *non servata solemnitate illius*, 2.

Quot quæstiones sint disputandæ, 3.

Eadem mortis probatio debeat esse, & *professionis alterius conjugis ante matrimonium consummatum*, 4.

An requiratur certus nuntius de morte, *vel sat sit in utroque foro aliqua moralis certitudo*: *refertur quædam opinio*, *n.*5. & *opinio auctoris*, 6.

Judicis arbitrio relinquitur hæc probatio, 7.

Possunt testes non citata parte probare hanc mortem, 8.

Thom. Sanchez de Matrim. Tom. I. K 3

Solvuntur argum. & *explicantur cap. Quoniam*, §. *Porro ut lite non contest.* & *cap. Cum per bellicam*, 34. *q.* 2. & *l.* 8. *t.* 9. *p.* 4. *num.* 9.

Post num. 9. *invenies alia summaria.*

VAriæ extant juris dispositiones in hac re: si enim jus civile inspiciamus, satis est, si mulier quinquennio virum absentem, de cujus vita prorsus dubitatur, expectet, ut possit alii nubere, *l. Uxores*, *ff. de divort.* quod tempus postea ad quadriennium est restrictum, *l. Uxor*, *C. de repud.* Sed postea hoc omnino correctum est per *auth. Hodie*, *C. de repudiis*, & *cap. In præsentia*, *de sponsi.* ubi statuitur ob nullam absentiam, nisi alia mortis certitudo adsit, licere alteri conjugi aliud matrimonium inire. Hujus rationem assignant aliqui: quia præsumitur vitam hominis centum annis durare, per *l. fin. C. de sacrosanct. Eccles. ad fin.* ibi, *Unum tantummodo terminum humanæ vitæ imponimus*, *ideft*, *centum ætas annorum*. Hanc rationem tradit *Abb. d. c. In præsentia*, *n.*4. *Navr. 4. consil. tit.* 1. *de sponsi. in* 1. *edit. consil.*15. *in* 2. *consil.*17. Et ita præsumi tradunt *Jajon*, & communis, *dict. l. final. Ant. Gabr.* 1. 2. *commun. in mea edit. l.*11. *verb. Mors*, *f.* 131. *col.*2. & multi alii, quos & eorum fundamenta refert *Menoch. de præsumpt. lib. præsump.*49. *n.*9. Sed hæc ratio non est solida, quia verius est, non præsumi vitam hominis eo tempore durare. Quia jus non præsumit, quæ rarissime contingunt. Et ita multis fundamentis comprobans, tenet *Menoch. d. præsump.*49. *a n* 1. *usque ad* 9. multosque alios refert: & ad *d. l. final.* respondet *n.*10. eam legem, & similes tantum probare negativam, scilicet jus non præsumere vitam ultra centum annos durare, non autem affirmativam partem. Idem tenet *Covar.* 2. *var. cap.*7. *n.*6. *vers.*3. *Guttier.*2. *pract. q.*7. *n.*5. Unde vera ratio est, quia ex longa conjugis absentia non resultat certitudo de ejus obitu, sed tantum inesertitudo, & dubium: at quamdiu res est dubia & incerta, melior est conditio prioris matrimonii possidentis. Item, quia nullum est periculum abstinendo ab alio matrimonio, est autem adulterii, contrahendo, si forte conjux alter superstes sit. Deinde, quia mors non præsumitur, sed est probanda, quilibet enim vivere præsumitur, *l. ult. C. de sacrosanct. Eccles.* Tandem, quia cum mors sit fundamentum eam allegantis, ad probandam suam intentionem, ut animad vertunt *gloss.* & DD. *l. 1. t. 5. Si quis se neget*, *ff. quemadmod. testam. aper.* debet probari ab allegante. 1

Aliud extremum decrevit *auth. Hodie*, *C. de repud.* nempe ut uxor audiens virum in præsio obiisse, non prius alii nubat quam per se vel per alium adeat belli ducem, ifque juret obiisse, aliorumque testimonia recipiat, & postea expectet per annum: alias puniri possit de adulterio. Quam non esse correctam jure canonico, & ita servandam esse docent *Bart. l.* 2. 8. *Si dubitetur*, *n.*1. *ff. quemadmodum testam. aper. Anchar. c. Dominus*, *fine*, *de secund. nupt.* & in hanc partem magis inclinat *Greg. Lop. l.*8. *tit.*9. *p.*4. *verb. Algunos*, & videtur clare sentire *gl. c. Quoniam frequenter*, *verb. Præsumatur*, *ut lite non contest.* ubi statuens conjecturas, quibus uxor viri mortem probare potest, addit, *Et aliquo tempore expectavit*, *forte per annum*, *ut auth. Hodie*, *C. de repud.* Sed dicendum est, jure canonico correctam esse: quia *c. In præsentia*, *de sponsi.* tantum petitur certum nuntium de morte haberi. Et ita docent *ibi Innoc. n. unic. Jo: Andr. n.*4. *Ant. nu.* 7. *Anch. n.*6. *Tancred. Gosfred. Philippus*, quos refert, & sequitur ibi *Abb. n.*6. *Alex. de Nevo num.*8. *Felin. d. c. Quoniam frequenter*, *fine*, *Rosella*, *verb. Impedimentum*, *imped.*13. *num.*3. *Rolandus consil.*95. *num.*12. *vol.*3. *Jo: Sylv. Lud. dec. Perus. t. 1. dec.*12. *nu.*7. *Petr. Barbosus consil. matr.*25. *num.*3. *vol.*1. *Guttier. lib.*2. *pract. q.*8. *n.*5. & 6. Et *Alex. de Nevo d. n.*8. optime reprobat Cardinalem, quem ibi refert, dicentem posse judicem sæcularem punire uxorem secundo nubentem, non servata solemnitate *illius auth. Hodie*, si postea virum priorem vivere appareat. Quia cum jus canonicum licentiam contrahendi ea solemnitate non servata, concedat, sublatum est in totum jus civile: lex enim civilis cum nihil circa matrim dispionere possit, censetur prorsus sublata, itaut contra illius dispositionem agens, nullius pœnæ reus sit, quoties canones aliter disponunt: ut notat *Joan. Andr. cap. Statutum*, *de elect. in* 6. 2

His præmissis 3. quæstiones disputandæ sunt. I. an requiratur omnimoda certitudo mortis. II. an sufficiat dictum unius testis. III. an sufficiat fama. 3

Præmittendum est, quicquid dicetur de probatione mortis alterius conjugis, dicendum esse de probatione professionis factæ per alterum conjugem, ut manens in sæculo possit aliud matrimonium inire, si prius consummatum non erat, vel similiter religionem ingredi, si consummatum erat, quia eadem prorsus est ratio. Sic *Sotus* 4. *d.* 37. *q. unic. a.*5. *versic. In primis*, *Manuel* 1. *t. sum.* 2. *edit. c.*243. *n.*4. *Lud. Lop.* 1. *instr. c.*83. §. *Quia utrum*. 4

Quæstio I. utrum desideretur certum nuntium de alterius conjugis morte haberi, ut superstes possit aliud matr. inire: vel satis sit probabilitas moralis, ideft, ut sit probabilis causa ad credendum, judicio sapientum? Duplex est sent. I. affirmat, satis esse hanc probabilitatem moralem: quod si opponatur *c. In præsentia de sponsi.* petens certum nuntium: respondent *Ant. Rosel. Silv. Philiarc. Bart. a Led. Lud. Lop.* statim referendi, intelligi, ut Ecclesia facultatem concedat aliud ineundi matr. major enim certitudo desideratur ad hoc, ob ejus auctoritatem. Prob. hæc sent. ex *c. Quoniam*, §. *Porro*, *vers. Si autem*, *ut lite non contest.* ibi, *Si autem de carnali conjugio sit agendum*, *tamdiu alter uter conjugum expectetur*, *donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur*: ergo 5

sufficiunt verisimiles mortis præsumptiones. 2. ex c. *Cum per bellicam*, 34. q.2. ibi, *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit*. Ubi loquitur textus de uxore secundo nubente, dicitque eam excusari ob credulitatem mortis viri. 3. Quia adulterium non admittitur sine dolo, *l. pen ff. de adult.* qui abest, cum probabilis credulitas mortis viri habetur. 4. ex *l.8. in princ. tit. 9. p.4.* ibi, *Si acaeciese el marido tardase mucho en la guerra, de guise que fiziesen algunos creer a su muger que era muerto, e se casase con otro, no la podrian acusar de adulterio, maguer fuese vivo el primer marido, ca excusa el no saber*. Hanc sententiam videtur clare tenere *gloss. 34. q. 1. in summa, verb. Utraque quæstio*, & clarius *c. In præsentia, de spons. verb. Viris* Et tenent *Host. ibi ad fin. & sum. t. de sponsa duorum, num.6. Ant. dict. c. In præsentia num.7. Anch. ibi, ad fin. & num.6. Rosell. verb. Impedimentum, imped. 12. num.1. & 3. Vincent. Tancredus, Goffred. Philippus. Supplementum, Rainerus*, quos refert, & sequitur *Silvest. matrim. 8. q. 13. dict. 2. & 4. Tabiena, verb. Impedimentum, imped. 10. q. 1. num.2.* qui addit contra aliquos, eamdem certitudinem sufficere, ut Ecclesia facultatem concedat celebrandi aliud matrimonium: nec obstare *d.c. In præsentia*, quia certum nuntium exempli gratia, quod minime regulam restringit, proponit. Et videtur tenere tanquam probabilem *Angel. matr. 3. imped. 13. num.4.* & tenent *Armilla, verb. matr. n.45. Ant. Gom. l.80. Tauri, n.31. vers. Hodie tamen, Perez lib.5. ordinam. t.1. l.3. ad fi. Masc. de probat concl. 1074. n. 5.* Et ex Theologis *D. Ant. 3. p. t.1. c.9. fin. Philiar. de offic. sacerd. t.1. p.2. l.2. c.9. Bart. a Ledes. de matr. dub. 56. ad finem, concl.9. Lud. Lop. 2. p. instructorii, de matr. cap. 55. f.1171.* Et est probabilis hæc sentent.

6 II. Sententia probabilior, ait eamdem certitudinem requiri, ut Ecclesia det contrahenti facultatem, & ut possit aliquis propria auctoritate: & ita requirit tantam certitudinem, aut per certum nuntium, aut per testes, ut judicio prudentis non tantum probabilis, sed certa judicetur mors. Prob. ex *c. in Præsentia, de spons. fine*, ibi, *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*. Hæc ibi, ecce qualiter conjunguntur ea duo, ut illi nequeant contrahere, & Ecclesia concedere facultatem, donec certum nuntium recipiant. Et *c. Dominus, de sent. nupt.* ibi, *id vobis respondemus*, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migravit conjux ejus. 2. quia in contrahendo secundo matrimonio, periculum ejus nullitatis, & adulterii imminet, in abstinendo vero nullum: ergo quamdiu non est omnimoda certitudo mortis viri, abstinendum est, ut peccati periculum vitetur. Hanc tenent *gloss. d. c. In præsentia, fine, Innoc. c. Dominus, de secund. nupt. num. un.* ubi *Anchar. fin. Abb. d. c. In præsentia fine*, & melius *cap. Quoniam, §. Porro, num.12. ut lite non contest. Alex de Nevo d. c. In præsentia, n.22. Roland. consil.93. n.8. vol.3. Covar. 4. decret. 2. p. c 7. §.3. n.3. Ant. Cucus lib.5. instit. major. t.12. n.231. Josephus Lud. decis. Perusin. 1. tom. decis. 12. n.7. Guttier. 2. pract. q.8. n. 4. & seq.* & multi alii, quos refert *Masc. de probat. concl. 1074. nu.4.* Et ex Theologis, *Sotus 4. d.37. q. unica, ar.5. vers. De hac vero certitudine, & vers. seq. Angles floribus, 1. p. de matr. q.11. de imped. ordinis, a. 3. dub. 1. f.594. Manuel. 1. tom. summ. 2. edit. c. 233. num.2. & 4. Barth. a Ledes. de matr. dub. 52. §. ult. Lud. Lop. 1. p. instruct. c.83. §. Quia utrum.*

7 Hinc fit, cum hæc certitudo mortis prioris viri, non omnino qualis esse debeat, præscribi possit, judicis prudentis arbitrio, attentis circumstantiis occurrentibus, relinqui. Sic *Ant. cap. In præsentia, de sponsal. num.7.* ubi *Abb. nu. 6. Alex. de Nevo num.5. Aufrerius capella Tholosana, decis. 316. Armilla, verb. matr. nu. 45. Tabiena, verb. Impedimentum, imped. 10. q.1. num.2. Cov. 4. decret. 2. p. c.7. §.3. num.4. Greg. Lop. l.8. t.9. p.4. verb. Algunos, Ant. Cucus l. 5. instit. major. t.12. num.231. Menoch. de præsump. l. 6. præsump. 49. num.28. Guttier. 2. pract. q.8. n.9.* Et ex Theologis, *Veracruz 1. p. specul. ar.42. concl. 1. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c.55. f.1171. Manuel. 1. t. sum. 2. edit c.233. n.2.*

8 Illud autem est speciale in morte probanda, ut testes non citata parte, sed ex mero judicis officio examinari possint. Sic *Benedictus*, quem refert & sequitur *Præpos. c. In præsentia, de spons. fi. Bald. c. Quoniam, §. Porro, ut lite non contest. & ibi Felin. fin.* & alii quos refert, & sequitur *Mascar. de prob. concl. 1076. fine.*

9 Ad duo priora arg. proposita n.5. respondet *Guttier. l.2. pract. q.8. n. 4.* illos textus correctos esse per *c. In præsentia, de spons.* Sed hoc non placet: quia cum sit contra jus naturale, secundum inire matrim. absque mortis prioris viri debita certitudine, & ita certitudo hæc non pendeat a jure humano, Ecclesia statuens qualis certitudo desideretur, non procedit disponendo, sed tantum declarando jus naturale: quare dicendum non est olim declarasse minorem certitudinem exigi. Quare omissa hac solut. & alia, quam refert, & reprobat *Hostiens. c. Quoniam frequenter super verb. Verisimile, ut lite non contest.* dicendum est cum *Hostiens. ibi*, eos text. intelligendos esse, juxta *d. c. In præsentia*, ut ea verisimilis præsumptio, & existimatio mortis, fit per certum nuntium, vel alias probationes æquivalentes. Ad 3. dico, esse in dolo uxorem non adhibentem diligentiam jure requisitam, ut certior fiat de viri obitu. Ad 4. dic intelligi eam legem, quando per testes mulier certificatur de morte viri: quod ea verba significant, *De guisa que fiziesen algunos creer a su muger, que era muerto*. Et si aliud intellexit, correctam esse jure canonico.

S U M M A R I U M.

An sufficiat unus testis ad probandam alterius conjugis mortem, referuntur duæ opiniones, num. 10. & 11. & vox unius vox nullius, num. 11.
Sententia auctoris, n. 12. Post quam invenies alia summaria.

QUæstio II. An sufficiat unus testis affirmans conjugis mortem, ut liceat alteri ad secundas nuptias transire? Affirmant aliqui sufficere, attendendam tamen nuntii, seu testis personam, & qualitatem, & an per verba verisimilia deponat: & ita in hoc, judicis arbitrium versari. Prob. ex *cap. in præsentia, de sponsal.* ibi, *Non permittas eos contrahere, donec certum nuntium de morte recipiant*. Si ergo satis est certus nuntius, sufficiet unus testis. Sic *Host. summ. tit. de sponsa duorum, n.6. & d.c. In præsentia, ad fin.* ubi *Abb. n.6.* adeo mordicus tuetur hoc, ut censeat *Bart* qui oppositum asseruit, immemorem fuisse illius text. *Angel. Matrim. 3. imped. 13. num.4. Veracruz 1. p. speculi, a. 42. concl. 1.* 10

Alii vero sufficere unum testem negant. Quia *c. In præsentia, de spons.* oppositum non declarat: in illis enim verbis, *Donec certum nuntium recipiant*: potest sumi nuntium neutrius generis, itaut significat *la nueva*: at non potest dici nuntium certum, quod voce unius habetur, cum jura clament, vocem unius esse vocem nullius, *l. Jurisjurandi, vers. Simili modo. C. de test. & c. Veniens, fine, de test.* Et confirm. quia cum correctio juris tanquam odiosa, vitanda omnino sit, *l. Præcipimus, C. de appel.* per ea verba valde dubia, & æquivoca, non est dicendum jura corrigi. Quia esto sumeretur masculine nuntius certus, *d. c. In præsentia*, at nuntius certus est, qui nuntium certum affert, non autem potest dici afferre nuntium certum, quando ipse solus id testatur. Tandem, quia si dictum unius in causis pecuniariis insufficiens est, a fortiori minime sufficiet in causa secundi matrim. contrahendi, in qua vertitur animæ periculum, sacramenti irritandi, maximæ infamiæ, & dedecoris feminæ secundo nubentis, si forte adhuc prior vir superstes esset. Ita tenet *Bart. l.2. §. Si dubitetur, n.1. ff. Quemadmodum test. aper.* Et magis in hanc sententiam inclinat *Greg Lop l.8. t.9. p.4. ver. Algunos*, & tenet *Manuel. 1. tom. sum. 2. edit. cap. 233. n.2.* ubi ultra certum nuntium alias mortis conjecturas postulat. 11

Hæc II. Sent. multo magis placet: quia fortissimis innititur rationibus. Primam tamen admitterem, casu quo conjux obierit in loco ita distanti ut facile nequeant aliæ probationes haberi: tunc enim satis erit nuntius, & ita unus testis, considerata qualitate personæ, & ut verisimilia dicat: quod judicis arbitrio committitur: ut ait prior sent. nam quando probatio integra, & plena haberi nequit, satis est per conjecturas, *l. Non omnes, §. A barbaris, ff. de re militari*, ibi, *Sed licet hoc liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est*. Extra hunc tamen casum integra, & plena probatio desideratur, ut ait II. sententia; & ita cum hoc temperamento sentiunt *Ant. c. In præsentia, de spons. nu. 7.* ubi *Henricus num.6. Alex. de Nevo num. 13. & 14.* Neque est audiendus *Antonius ibi*, in quantum hoc limitat, ut requiratur plena, & certa probatio, ut judex contrahendi facultatem concedat: satis autem esse conjecturas, ut propria auctoritate aliud matrimonium ineatur: quam differentiam reprobavi n. 6. 12

S U M M A R I U M.

An sufficiat fama, referuntur duæ opiniones, n. 13. & 14.
Opinio auctoris, num. 15. & quas conditiones debeat habere fama, ut probetur, 16.
Solvuntur argumenta, 17.

QUÆSTIO III. An fama probetur mors? Triplex est sent. I. negat satis esse. Quia *c. In præsentia de spons.* desideratur certum nuntium de morte adesse, fama autem oritur ab incerto auctore, & plerumque fallaci: ut notatur *c. Vestra, de cohabit. cleric.* Item, quia ut dixi n.6. requiritur certa, & integra mortis probatio, fama autem nec certo, nec integre probat. Sic *Abb. d. c. In præsentia n.6. Guttier. 2. pract. q.8. a n.4. Veracruz 1. p. speculi, a.42. concl. 1. Manuel 1. to. sum. 2. edit. c.233. num.2.* 13

II. Sententia ait mortem satis probari fama. Sic *Anchar. d. c. In præsentia, num. 5. Jul. Clarus lib.5. recept. §. Fornicatio, vers. penult. Ant. Gom. l. 80. Tauri, n. 31. vers. Hodie tamen, Perez lib. 5. ordin. t. 1. l. 3. ad finem.* 14

III. Sententia quæ mihi placet, ait solam famam non sufficere, ut probant rationes primæ sententiæ, nisi aliis adminiculis adjuvetur: tunc enim satis erit; quia certa moraliter probatio dici potest. Sic *gloss. c. Quoniam frequenter, verb. Præsumatur, ut lite non contest. Ant. d. c. In præsentia, n. 7.* ubi *Alex. de Nevo n.15. & 16.* & dicit *Abb. ibi n.6.* esse multum æquam hanc sententiam. *Tabiena, verb. Impedimentum, impedim. 10. q.1. n.2. Navar. sum. c.22. num. 53. Ant. Cuc. l. 5. inst. major. t.12. nu. 231. Silv. Matrimonium, 8. q.13. dict.4. Petrus de Barbobus consil.25. num.2. vol 2. Becius consil.652. vol.4. Ant. Gabr. t. 2. commun. in mea edit. l. 11. verb. Mors, f. 131. colum. 1. Menoch. de adipisc. possess. remedio 4. n.672. Mascardus* alios referens, *de probat. conclus. 1075. n.4. & seq.* Et ex Theologis, *D. Ant. 3. p. t.1. c.9. fine, Sotus 4. d. 37. q. unic. a.5. verb. In primis, Ludovic. Lopez, 2. p. instruct. de matr. cap. 55. & 1. p. cap. 83 §. Quia utrum, Philiarchus de offic. sacerd. tom.1. p.2. lib.2. c. 9.* Adminicula autem, quibus debeat adjuvari fama, sunt longitudo absentiæ, & universalis fama, ubi conjux commorabatur, mortem ejus contestans. Sic *Sotus, & Lud. Lop.* Similiter si mors contigit in loco valde remoto, itaut aliæ probationes difficile possint inveniri, & vir longo tempore abfuit. Sic *Anton. Alex. de Nevo, Silv. Navar. Anton. Gabr. Becius, Petrus de Barbobus. Menoch. Maschard. Philiarc. ibidem*: addunt *Menoch. & Maschar.* dummodo etiam mors sit antiqua, & non contigerit recenter: & *idem Maschar. num.7.* cum aliis, quos refert, dicit satis esse famam cum his adminiculis, si is de cujus morte probanda tractatur, erat valde senex, vel æger. Et *gloss. Tabiena, Navar. Philiarc.* assignant hæc adminicula, cum fama: si vir senex erat, vel in acie fuit, & non rediit aliquanto tempore expectatus (*addit gloss.*) forte per annum: vel uxor accepit litteras eorum, cum quibus vir militavit. Et *D. Antonin.* hæc adminicula proponit, si vir captus sit ab hostibus, & communis fama ipsum objisse testetur, & diu uxor nihil contrarium audierit, vel litteras receperit a fide dignis. 15

16 Ut autem fama probet, desideratur ut ipsa plane, & vere probata sit: ad quod aliquæ conditiones exiguntur. I. ut duplici teste probetur: id enim generale est, ut non minus quam duo testes plene probent, *cap. In omni negotio, & cap. Licet, de testibus, & attest.* & docet *Maschardus cum multis, de probat. concl. 749. num. 1. Julius Clarus practic. crim. §. ult. lib. 5. quæst. 6. vers. Sciendum est autem*. II. est, ut testes sint omni exceptione majores, deponantque se audivisse a fide dignis. Sic *Menoch.* cum aliis, *consil. 70. num.21. vol. 1.* Et ratio est, quia fama nihil probat, & est vana vulgi vox, nisi oriatur a fide dignis, ut habetur *cap. Qualiter, el 2. de accus. & ibi, gloss. verb. Ad inquirendum, & cap. In cunctis, 11. quæst. 3. & ibi gloss. verb. Maledicorum, & l. 2. t. 6. p. 7. & ibi Greg. Lop. verb. De creer*, & docent omnes, ut potest videri in *Maschardo de probat. concl. 1075. num. 6. & concl. 748. num. 8. & 9.* ubi etiam probat oportere, ne oriatur ab iis, de quorum commodo agitur. III. ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta est: ut si is, de cujus morte agitur, mare navigarit, subortaque tempestate expectatus tempore congruo, & per loca verisimilia quæsitus, non comparuerit, nec navis, qua vehebatur: vel si prælium aggressus est, nec postea diligenter quæsitus inventus est. Sic cum aliis *Mascar. concl. 748. num. 11. & 1075. num. 8.* Et ratio est, quia fama originem a probabilibus causis trahere debet: vox enim vana vulgi certo auctore, & rationibus probabilibus carens, attendenda non est, *cap. Ossius Episcopus, de elect.* & probat ex multis *Masch concl. 748. n. 5. 6. & 7.* ergo testes exprimere debent causas, ex quibus ortum habuit fama, ut judex discernat, an sint probabiles, vel vana vulgi vox. IV. Est, ut testes deponant se audisse publice a majori populi parte; nec sat erit deponere publice audisse. Quia potest esse, ut ab uno publice audierint. Sic multi, quos refert *Mascard.* eos sequens *concl. 1075. n. 10. & 749. n.1. 2. 3. & 11.* contra alios, quos in ea refert *n. 4.* asserentes sufficere testari publice audisse. Oportet etiam explicare audisse a majore parte talis populi, nec satis esset in genere, a majori parte populi. Sic *Maschar.* cum aliis, *concl. 749. num. 22.* Hinc fit non satis esse deponere audiisse a multis, vel etiam a mille personis: quia non inde infertur a majore parte populi audisse. Sic *Maschard.* cum multis, *concl. 749. num. 6. & 7.* Hoc autem intelligitur in negotiis magnis, & arduis, in iis enim requiritur fama totius oppidi, vel majoris partis: in rebus enim parvis sufficit fama majoris partis viciniæ, sic *Maschard.* cum aliis *concl. 749. num. 9.* Unde probandum mortem conjugis, ut superstes aliud ineat matrimonium, requiritur fama majoris partis oppidi: quia res est gravissima. Sic *Mascar. concl. 1075. nn. 10.* Dum etiam dicitur requiri notititiam, seu famam majoris partis viciniæ, vel oppidi, non est indistincte intelligendum, ut requiratur notitia majoris partis puerorum, vel mulierum; sed satis est major pars proborum, & gravem notitiam habeat: & ita caute dicitur *cap. Inquisitionis, de accusat. fine, Cujus apud bonos, & graves læsa opinio non existit*: & docet *Abb. ibi fine*. V. Conditio est, ut deponant testes, a quibus personis fama ortum habuerit, & a quibus ipsi audierint. Nam cum fama debeat oriri a probis, & honestis, & de quorum commodo minime agitur, & judici constare nequeat, an ab iis ortum habeat, nisi exprimantur personæ, id necessarium est, ut testes coram judice deponant: in judicis enim, & non in testium arbitrio positum est discernere, an personæ sint fide dignæ: Ita *Maschar. concl. 749. num. 11. 12. & 13. & conclus. 1075. num. 1.* ubi addit, testes asserentes non meminisse a quibus audierint, non probare, licet præmisissent a majori parte populi audisse, sed debere aliquos exprimere, & postea addere, a pluribus aliis audivisse, quorum non meminerunt, & refert alios auctores. Hæc tamen conditio dupliciter limitatur. Primo, nisi fama ex conjecturis probabilibus confirmaretur, tunc enim non est opus a fide dignis eam oriri, & subinde nec testes deponere a quibus audierint. Ita cum aliis *Maschard. conclus. 749. num. 20.* Secundo limitatur, nisi de fama magnus testium numerus, ut septem, vel decem, deponat: tunc enim minime desideratur, a quibus audierint, exprimi; ut probant cum aliis *Maschard. conclus. 749. num. 21.* Ultima conditio est, ut testes de fama deponentes, asserant credere, rem ita se habere. Sic *Anton. Nata & alii*, quos refert, & sequitur *Menoch. consil. 60. num. 21 vol. 1.* Testes autem super fama, non compelluntur jurare, sed absque juramento valet eorum dictum. Sic cum aliis *Mascard concl. 749. n. 38.* quod idem cum aliis asserit *concl. 424. n. 7. & 8.* quando testes de consuetudine, vel de notorietate deponunt.

Ad argumenta 1. sententiæ, proposita nu. 13. constat ex dictis num. 15. probant enim famam absque aliis conjecturis non sufficere.